



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Canon XVI. Quod nemo gloriatur de substantia sua

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

DE HÆRESI PELAGIANA.

Beatus et Simon Barjona, quia caro & sanguis non re-
velavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est. Et Apolto-
lus (1. Cor. 12.) Nemo potest dicere Dominum Iesum
Christum, nisi in Spiritu sancto.

CANON IX.

De adiutorio Dei.

63 Divini est muneris, cum & rectè cogitamus,
& pedes nostros à falsitate & iniustitia teneamus.
Quoties enim bona agimus, Deus in nobis at-
que nobiscum, ut operemur, operatur.

CANON X.

De eodem.

64 Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis tem-
per est implorandum, ut ad finem bonum per-
venire, vel in bono possint opere perdurare.

CANON XI.

De obligatione votorum.

65 Nemo quidquam Domino rectè voverit, nisi
ab illo acceperit, sicut legitur (1. Par. 29.) Quæ de
manu tua accepimus, damus tibi.

CANON XII.

Quales nos diligit Deus.

66 Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ip-
sius dono, non quales sumus nostro merito.

CANON XIII.

De reparatione liberi arbitrii.

67 Arbitrium voluntatis in primo homine infir-
matum, nisi per gratiam baptismi non potest re-
parari, quod amissum, nisi à quo potuit dari, non
potest reddi. Unde ipsa veritas dicit (Joan. 8.) Si
vos Filii liberi fueritis, tunc verè libereritis.

CANON XIV.

De misericordia Dei.

68 Nullus miser de quantumque de miseria libe-
ratur, nisi qui Dei misericordia praevenitur, sicut
dicit Psalmista (Psal. 8.) Circa audivit nos misericor-
diana Domine. Et illud (Psal. 8.) Deus Deus meus mi-
sericordia eius praevenit me.

CANON XV.

De mutatione preparationis Adæ.

69 Ab eo quod formavit Deus mutatur Adæ,
sed in peius per iniquitatem suam: ab eo quod
operata est iniquitas mutatur fidelis, sed in me-
lius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit præ-
parationis primi, hæc secundum Psalmistam
(Psal. 76.) mutatio dexterae Excelsi.

CANON XVI.

Quod nemo gloriatur de substantia sua.

70 Nemo ex eo quod videtur habere, gloriatur,
tantaquam non acceperit, aut idè se putet acce-
pisse, quia licet extulit eum, vel ut legeretur, ap-
paruit, vel ut audiretur, infonuit. Nam sicut Apo-
toms 47.

Stolus dicit (Gal. 2.) Si per legem iustitia ergo Chris-
tus gratis mortuus est. Porro autem si non gratis
mortuus est, Ascendens in altum, captivam du-
xit captivitatem, & dedit dona hominibus. Iude
habet, quicumque habet. Quisquis autem inde
se habere negat, aut verè non habet, aut quod
habet auferetur ab eo.

CANON XVII.

De fortitudine Christiana.

Fortitudinem Gentilium, mundana cupidi-
tas, fortitudinem Christianorum, Dei charitas
facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per
voluntatis arbitrium, sed per Spiritum sanctum,
qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præ-
vedientibus.

CANON XVIII.

De mercede boni operis.

Debetur merces bonis operibus, si fiat; sed
gratia quæ non debetur, præcedit ut fiat.

CANON XIX.

Remorem nisi nos servante Deo servari.

Natura humana, etiam si in illa integritate in
qua est condita, permaneret, nullo modo se ip-
sam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Un-
de eadem sine gratia Dei salutem non possit custo-
dite quam accipit, quomodo sine Dei gratia
potest reparare quod perdidit?

CANON XX.

Nihil boni hominem posse sine Deo.

Multa in homine bona fiunt, quæ non facit
homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non
Deus præstet, ut faciat homo.

CANON XXI.

De natura & gratia.

Sicut eis qui volentes in lege justificari & à
gratia exciderunt, verissimè dicit Apostolus
(Gal. 2.) Si ex lege iustitia est, ergo Christus gratis mor-
uus est: sic & his, qui gratiam quam commendat
& percipit fides Christi, putant esse naturam,
verissimè dicitur, si ex natura iustitia, ergo Chris-
tus gratis mortuus est: jam hic enim erat lex, &
non justificabat; jam hic erat & natura, & non
justificabat. Ideo Christus non gratis mortuus est
ut & lex per illum impleretur, qui dixit (Matt. 5.)
Non veni legem solvere, sed adimplere: & natura per
Adam perditam, per illum repararetur, qui dixit
(Luc. 19.) venisse se querere & salutare quod per-
tuerat.

CANON XXII.

De his quæ hominum propria sunt.

Nemo habet de suo, nisi mendacium & pec-
catum, Si quid autem habet homo veritatis ac-
que iustitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sibi
in hac eremo, ut ex eo quali guttis quibusdam
irrorati, non deficiamus in via.

CANON XXIII.

De voluntate Dei & hominis.

Suam voluntatem homines faciunt, non Dei,
quan-

manet in Deo
etiam